DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
AMENORRHOEA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRÆSIDIS & DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. Professorum
pro
Doctoris Medicinae & Chirurgiae Laurea
RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA
C. R. ACADEMIA
MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Wenceslaus Tlučzhořz,
Bohemus Pardubicensis.
Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die 28. *mensis Junii* 1843.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

Non aeque perfectum ac arduum primum solet esse opus;
Perfectum namque iterato duntaxat conditur exercitio.

DOMINO DOMINO

JOANNI TLUČZHOŘZ,

CIVI PARDUBICENSI BENE MERITO,

FRATRI OPTIMO ALTERIQUE PARENTI

etc. etc.

SEMPITERNAE

SUAE GRATITUDINIS EXIGUUM

HOC OFFERT

DOCUMENTUM

Auctor.

Procemium.

Non tanta teneor arrogantia, ut tiro novissime in praxi medica opusculum sequens jam omni numero absolutum arbitrarer. Lege tantum academica obstrictus thema praesens elucubrandum praetuli aliis, quum mihi saepe saepius occasio data esset, hujus morbi speciei tractamina observandi. Plura forsan continentur, quae opinioni virorum recte sapientiorum non penitus adsentiunt, plura, in quibus haesitavi, sed et scholae et singuli inter se dissentiunt, nec minimae, quas demum in arte medica feci, experientiae, omnem opinionem meam firmam ponere concedunt.

Quae ergo conamina medico-literaria adnecto, benevole suscipiantur, quibus si aliquota emolumenti pars enascitur, quod exoptavi illis perficiendis, admodum reddor contentus.

Dabam Viennae mense Junio 1843.

Auctor.

DE AMENORRHOEA.

Definitio et morbi descriptio.

Amenorrhoea ille nobis processus vitae audit, ubi in puellis aetatem pubertatis jamjam adeptis, catameniorum fluxus vel plane non adparet, vel perexigua quantitate. Quamvis interdum status hicce periculi permagnam seriem secum habeat, tamen morbosus per se jam nominari nequit, quum non rara sint exempla foeminarum, quae plures annos post pubertatis evolutionem, et aliarum, quae plane nunquam a fluxu illo salutatae, semper optima sanitate sint gravisae. Ut itaque de fluxus catamenialis defectu justum feramus judicium, ratio habenda erit climatis, quod puella incolit; vitae conditionis, corporis constitutionis et temperamenti, non minus tum physicae tum psychicae culturae; et defectus menstruorum tunc demum suspectus et morbosus declarari poterit, dum faventibus hisce circumstantiis men-

strua intrare debuissent, aut potuissent. Perpendendum dein erit, num singulorum organorum, systematum, aut totius organismi funcitones sint turbatae, vel sanitatis universalis quaedam labes subsit; et quod maximi momenti est, quae vera sit hujus defectus causa?

Turbae, quae in singulis organis aut toto organismo citius seriusve obveniunt, moliminibus plerumque producuntur, quae natura ad provocandum huncce fluxum tentat, et demonstrant, ipsam naturam in agendo turbari, aut in organis illi excretioni destinatis impedimenta invenire.

Inter symptomata haec eminent:

Lassitudo cum debilitatis sensu, desidia, sanguinis accumulationes et inde oppressionis et gravedinis sensatio in pelvi, abdomine aut regione sacrali, pectoris oppressio, sensus oppletionis ventriculi cum appetitu prostrato, digestione tarda, nutritione retenta; abdomen plus minus expansum, resistens; mammae inturgescentes cum sensu tensionis, interdum ardor in vagina, et non raro profluvium ex ea mucosum.

Allata phaenomena a principio periodice plerumque omni tertia vel quarta hebdomade redeunt, et vario terminantur exitu; nonnunquam natura victrice fluxus producitur menstrualis, et symptomata morbosa pedetentim evanescunt; aut quod puellis frequenter accidit succi plenis, constitutionis irritabilis, exoritur cephal-

algia atrocissima, vertigo, aurium susurrus, odontalgia, deliria, oppressio et anxietas pectoris interna, cardiopalmus, melancholia, mania, encephalitis, gastritis, pulmonum aut organorum abdominalium phlogoses, apoplexia, haematemesis, haemoptoë et phthisis pulmonalis, quae eo citius esurgunt, quo magis lauta et stimulantia adhibita fuerant alimenta, aut contraria in usum ducta fuit medela.

Interdum et accedunt dolores spastici in visceribus abdominis, colica, vomituritiones et vomitus; frequentius autem observatur status quidem febrilis, qui pulsu pleno, duro, cute sicca, urina profunde rubra, alvo pigra, et sanguine denso, in coagulum maxime nitente, plerumque insignitur. In puellis dein habitus teneri, mollis, constitutionis sensibilis conspicuum accedit energiae in omnibus functionibus decrementum, animi deliquia, spasmos tonicos et clonicos, epilepsiam pedetentim inducens; scenam tandem variae cachexiae, chlorosis, hydrops, arthritis, icterus, phthisis universalis cum morte claudunt.

Neque inaudita sunt exempla feminarum, quibus menstrua per alia, quam secretioni huic destinata organa, viam sibi legerint, et diversissimis sub formis in conspectum venerint (menstrua anomala), quae praecipuam medici attentionem merentur, eo magis, quum catamenia non semper per ventriculum, pulmones, nares, vesicam urinariam, vasa haemorrhoidalia vicario modo sub forma haemarrhagiae, haemoptoës, haema-

temeseos, epistaxeos, haematuriae aut fluxus haemorrhoidalis in conspectum veniant, sed fluidum excretum frequenter qualitatem offerat humorum, quos organon aut systema normaliter munere suo fungens secernere consuevit. Huc referendi sunt pariter quavis hebdomade quarto intrantes sudores copiosi universales, aut solummodo pedes humectantes, adaucta urinae secretio, sialorrhoea etc.

Aetiologia.

Menstrua retinentur impedimentis mechanicis aut dynamicis.

Mechanica in abnormi formationis typo partium genitalium externarum aut internarum sita sunt, quo spectant: atresia labiorum pudendorum, nympharum, vaginae, hymenis, orificii et colli uteri; a forma normali devians, aut plane deficiens uterus.

Hymen aut perfectam offert atresiam, est nimis densum, firmum, ligamentosum, aut adparet perforatum quidem, sed propria quaedam retro hymen abnormi formatione expansa membrana vaginae orificium occludit.

Praesente atresia vaginae concretio vel in inferiore illius parte, ad hymen et ad labia pudenda invenitur, vel ad ipsum usque vaginae cavum extenditur; concrementum firmum tangitur et tendinosum. His

sub circumstantiis uterus adesse, deficere, aut eum in modum degeneratus esse potest, ut mittendis menstruis impar sit.

Sub atresia labiorum pudendorum, nympharum, hymenis et vaginae sanguis menstrualis ex normaliter formati uteri orificio quidem effluere, non autem e vagina evacuari potest; collectus inde in cavitate vaginae causat tumorem retro vel intra labia pudenda prominentem. Effusus sanguis continuo magis condensatur, massamque format solidam, odoris et corruptionis signorum omnium expertem, quae statu hoc plures nonnunquam annos perstante, penitus, vel saltem pro magna parte iterum resorbetur. Atresia haec plerumque sero detegitur, et nonnisi ex gravaminibus, quovis mense lunari elapso redeuntibus, et fluxu catameniali intrante causatis, ex adspectu puellae morboso, ex oppressione et tensione in vagina turgente, quibus anxietas, atroces in regione dorsali dolores, haud infrequens difficultas urinam mittendi, alvi obstructio, delassatio, pedum gravitas, cephalalgia, vertigo, adipsia socia se jungunt, diagnosis colligi potest.

Allata haec symptomata a mense in mensem increscunt, nisi impedimentum amoveatur. Plerumque medici auxilium tum demum expetitur, quum malum ad summum jam gradum est evectum, tuncque abdomen ita reperitur expansum, ut graviditatem haud inepte simulet, quum circumscriptus, rotundus, mobilis tumor non raro offertur, qui indolens sursum moveri potest. Remotis

labiis pudendis vagina invenitur occlusa tumore firmo, tenso, per accumulatum retro hymen sanguinem producto. Tumor universus sub exploratione signa fluctuationis edit. Peritonaeum est expansum, anus protrusus. Haec tamen omnia praesente vaginae et partium externarum atresia tunc solum adparent, dum sanguis catamenialis ex utero per externum ejus orificium revera evacuatus in vagina retinetur; effluxu autem ex utero impedito, aut menstruis nondum ingressis praeter molimina menstrualia, quavis quarta hebdomade elapsa redeuntia, nullum aderit symptoma.

Sub atresia uteri aut orificium externum membrana mucosa vaginae continuata occluditur, aut ipsum collum uteri usque ad orificium internum obstruitur.

Occlusio orificii externi solius interdum facile dignoscitur, praecipue, quum ostii loco eminentia quaedam, vesiculae formam exhibens persentitur, sed multo difficilius colli obliteratio suspicatur et evincitur, praesertim, quum orificium externum manifeste patet. Atresia uteri interdum cum illa vaginae complicata est, qua sub complicatione, quum plerumque ipsa functio menstrualis uteri impossibilis est, omni mense molimina menstrualia, catamenia anomala, aut colica menstrualis, sub qua spasmi abdominales non raro ad summam usque vehementiam ascendunt, in conspectum veniunt.

Uterus ex primae jam formationis vitio deficere, aut ita deformatus esse potest, ut fluxus menstruus

normali via nunquam adparere possit. Ubi uterus defecit, nullum hucusque menstruationis indicium animadvertebatur; ubi autem uterus adest abnormiter formatus, et molimina menstrua et menses anomalae adparere possunt.

Impedimenta fluxus catamenialis dynamica et ipsa diversae indolis esse possunt. Radicantur modo in virium vitalium exorbitantia, earumque activitate, praecipue in sphaera irritabili exaltata cum fibrae rigiditate (hypersthenia) vel in virium vitalium debilitate et infirma activitate cum fibrae insigni laxitate (asthenia).

Amenorrhoea qua effectus hypersstheniae quidem rarior et plerumque minus pertinax observatur, praeeunte attamen opportunitate, eminente constitutione irritabili et reproductiva, mente alacri et corporis habitu robusto, succi pleno, praesertim in puellis ruri habitantibus eo frequentius obvenit, quum clima, anni tempus, cibi stimulantes, labores graviores, motus frequens, vehementior, animi adfectus excitantes, activitatem vitalem adhuc magis exaltant. Ejusmodi puellae, nisi menstrua brevi adpareant, cephalalgia, aurium susurro, capitis calore valde aucto, vertigine, anxietate, oppressione pectoris, cardiopalmo, sanguinis congestionibus multum excruciantur. Ab hoc tamen statu mere hypersthenico distinguendus est erethicus, qui activitate vitali adparenter adaucta priorem simulans sensilitate admodum exaltata et virium debilitate insignitur. — Status hic multo frequentior, in urbibus prae-

primis obvius medicum eo facilius decipit, quum rubente turgidaque facie, cephalalgia, vertigine, aurium, susurru, epistaxi incedit, quae tamen ex vera virium vitalium paupertate prodeunt, qua omnes organismi functiones turbantur, hinc et normalis menstruorum fluxus impeditur.

Alia longe frequentior amenorrhoeae causae in originaria latet asthenia, quae viribus vitalibus attenuatis, earumque activitate imminuta ponitur, in systemate praesertim irritabili et reproductivo conspicua.

Dispositio.

In amenorrhoeam praecipue disponunt puellae constitutionis tenerae, sensiles, scrophulosae, rhachiticae, debilesque.

Ejusmodi puellae post exiguam quamvis virium intensionem delassatas se sentiunt, vexantur spasmis systematis nervosi totius et organorum sensuum receptivitate exaltata. Non minor animadvertitur animi sensilitas et agilitas; aegrae saepe sunt morosae, facillime conterrentur; mentis autem functiones, ingenium, judicium acutum, memoria in plurimis eminent. Symptomata morbosa vix non omnia systematis nervosi exaltationem, irritabilis et reproductivi debilitatem annunciant. Asthenia se ad systema sensiferum praeprimis detinente spasmi plerumque universales, convulsiones, ba-

lismus, epilepsia, trismus evolvuntur, quibus tandem febris hectica accedit. Astheniam systematis irritabilis comitatur sensus debilitatis et lassitudinis universalis, extremitatum dedolatio, calor modo auctus cum facie rubente, modo imminutus, intercurrentes horripilationes, respiratio difficilis, et ex congestionibus erethisticis cephalalgia, vertigo, somnolentia et somnia frequentia, aurium susurrus, pectoris oppressio, suspiria, cardiopalmus, leipothymia, epistaxis, haemoptoë, aliique sanguinis fluxus. Pulsus plerumque ab initio tangitur parvus, tardus, contractus, inaequalis; postea redditur frequens, acceleratus et sub causarum excitantium influxu valde plenus. Depressam virium vitalium in systemate reproductivo efficientiam agnoscere licet ex aegrarum misero adspectu, cutis pallore, qui non raro in flavicantem aut viridescentem colorem inclinat, ex appetitu prostrato, digestione turbata, fastidio et vomitu, ex lingua muco tecta, abdominis gravaminibus, praecipue alvi obstructione, sensu expansionis et tensionis in abdomine elato, erga mentis et corporis stimulos minuta receptivitate, animo prostrato, tristitia, cute frigida, sicca, functionum omnium segnitie, pulsu parvo, tardo, vacuo; ex dispositione ad morbos systematis reproductivi, vel eorum praesentia, quo referenda diarrhoea, hydrops, oedema, fluor albus, haemorrhoides mucosi, scrophulosis, scorbutus.

Causae tandem occasionales variae: dispositioni haereditariae accedens physica et psychica educatio inversa, praematura historiarum romanensium lectio,

mentis intensio, vita sedentaria, motus corporis in aëre puro, libero neglectus, commoratio in aëre humido, corrupto, habitacula profunde sita, victus parvus, digestu difficilis, parum nutriens, praegressi vires exhaurientes morbi, uti febris nervosa, pituitosa, putrida, typhus, pertinaces intermittentes, variolae nervosae, haemorrhagiae variae, dysenteria, diarrhoea diuturna, lues venerea, tumores lymphatici, tumor albus genuum, animi pathemata deprimentia, aerumnae, tristitia, amor infelix. Huc et referendae sunt causae, quae systema genitale proxime afficiunt. Hae nimirum activitatem vitalem totius organismi deprimentes partium genitalium vitam irritabilem eo perducunt, ut ex his organis desiderata functio prodire non possit; ejusmodi sunt masturbatio, praematurae admissus coitus, fluor albus.

Causa proxima catameniorum dynamico impedimento retentorum est vel status synochalis, spasmodicus, aut torpidus vasorum uterinorum, qui a se invicem ex supra dictis facile distinguentur.

Prognosis.

Haec ex aegrarum dispositione, diverso charactere morbi, ejus duratione, causis et effectibus plus vel minus periculi advehentibus statuenda erit. Quo major

dispositio, quo tensior constitutio, eo tardior erit sanatio; circumstantiae oppositae prognosim reddunt faustiorem. Minus laeta erit prognosis, si amenorrhoea productum est astheniae, quam sub statu hypersthenico, nisi huic lethales haemorrhagiae, inflammationes, apoplexia accedunt. Quo diutius morbus perstabat, eo difficilior medela; hinc amenorrhoea per virium vitalium debilitatem genita semper pejoris est ominis, et decursum facit longe diuturniorem, quam, quae statui hypersthenico debetur; illa decursu suo lento plerumque diversa jam peperit mala, quibus auferendis medicus occupatur, priusquam curam morbi primarii instituere licet. Ejusmodi mala secundaria medelam saepe retardant, frequenter sanationem impediunt. Praeterea salus nunquam aegrae comparabitur, nisi causae morbi amotae, momentaque externa fausta fuerint constituta.

Therapia.

Medendi methodum causa determinat, qua fluxus menstruus retinetur. Immediata catameniarum provocatio nequaquam primus ubique finis medici esse potest, quum amenorrhoea frequentissime morbum sistat secundarium, quem status morbosus totius organismi causat et favet. In hunc auferendum primum dirigi debet medici conamen; quapropter evincatur prae omnibus oportet, num mechanica, an dynamica momenta ame-

2

norrhoeam ponant. Non raro inde necessaria fit accurata exploratio partium genitalium, quoniam omne medicamen frustra adhiberetur praesente quodam mechanico impedimento. Detecta atresia operationem exigit chirurgicam, perita manu instituendam, sanguinis, si adfuerit, collecti evacuationem, et vulneris dein curam aptam. Remotis impedimentis mechanicis flūxus menstruus statim ab initio determinato assuescat typo, simul et turbae a retento fluxu in organismo forsan productae componantur, quae plerumque a minuta activitate vitali dependentes methodum medendi stimulantem, roborantem sibi expetunt. Fluentibus menstruis diaeta servetur restricta, et omnes influxus caute vitentur, quibus fluxus turbari posset. Quando uterus penitus deficit, nulla adparebunt catamenia; variae autem illius deformitates menstruorum normali via fluxum impedientes et nulla arte emendandae molimina menstrua, colicam catamenialem et menstrua anomala sibi socia habent, quae secundum typum sibi praefixum redeuntia haud parum periculi inferre possunt. Feminam hoc malo pressam oportet omnia vitare, quae systematis reproductivi sphaeram irritabilem evehunt, ne major sanguinis quantitas paretur. Parce fruatur cibis e regno praesertim vegetabilium desumtis, refrigeranteque et diluente potu. Fluxus autem vicarius in quocumque organo intrans, quantum potest, coërceatur; servetur quies, et organo sanguinem fundenti situs adaequatus, quo effluxus imminuatur; aër aegram circumdans sit modice temperatus, exibeantur doses refractae opii et ipecacuanhae, et pro potu acida mineralia, elixirium Halleri, illud Minsichti sufficiente aquae quantitate di-

luta. In individuis constitutionis irritabilis, reproductivae, in quibus praecipue in systemate vasorum irritabilitas viget, et nimius ad organon quoddam sanguinis adfluxus periculum minatur, sanguinis universales et locales depletiones optimo cum fructu instituuntur ad malum instans avertendum. Semper tamen adaptatum regimen diaeteticum fluxu absente ad eum praecavendum primas partes sibi vindicabit.

Quando status hypersthenicus menstrua retinet, in systemate arterioso et in organis secretoriis excedens in contractionem nisus observatur. Methodus antiphlogistica cum remediis suis evacuantibus, debilitantibus, stimulos detrahentibus hic sibi principem vindicat locum. Omnium efficacissimum remedium sistit phlebotomia in brachio, aut majori non raro emolumento in pede instituta. Hanc praecipue exposcit status synochalis, quo sanguinis torrens ad diversa organa ruit, et vertiginem, cephalalgiam diram, deliria, oppressionem pectoris cum cardiopalmo, dolores, colicos, vomitum, aut phlogoses varias, uti sunt encephalitis, pneumonia, gastritis, enteritis, causat, aut colicam menstrualem, epistaxin, haemoptoën, haematemesin invitat. Praeterea habitus robustus, succiplenus cum fibra rigida, praegressus alimentorum multum nutrientium et potulentorum exaestuantium abusus, aestus universalis nimium saltando provocatus, vel etiam repentine admissum refrigerium aut febris characterem synochae praeseferens, phlebotomiam indicant,

qua non raro unica rectò tempore instituta, et ad debitam sanguinis copiam evacuante, fluxui catameniali via aperitur, ut quoad typum et quantitatem normalis fluat.

Puellae etiam cute tenui, coma flava instructae, constitutionem teneram, sensibilem offerentes, quarum corpus praecipitatum cepit incrementum, in urbibus viventes, quarum physica et psychica cultura inepte dirigebatur, similia non raro exhibent phoenomena, quae autem plerumque fugacia, nunquam eum in gradum evehuntur; ea possunt quidem praesertim causarum excitantium actione praegressa, animi affectibus, vehemente corporis motu provacata breve per tempus medicum fallere, sed pulsus eam offert plenitudinem et duritiem, ac in statu vere hypersthenico, brevi tangitur parvus, tremulus, contractus, spasticus. His sub circumstantiis instituta venaesectio transitum in statum nervosum accelerare, et catameniis normali via provocandis grave impedimentum opponere potest. Ubi igitur universali sanguinis depletione non indicata supra enumerata symptomata adparent, iisque vehementes cruciatus regionem dorsalem, sacralem aut abdomen occupantes sociantur, abdomine expanso tensoque, tunc locales optime quadrant sanguinis depletiones, ope hyrudinum vel cucurbitularum instituendae, quarum applicationis locum organon prae aliis affectum designabit in partibus superioribus aut inferioribus, ad vasa haemorrhoidalia, aut ad faciem internam femorum.

Ad usum internum sales medii, nitrum, praeparata tartari et acida vegetabilia in usum trahuntur. Optime quadrant medicamina ex salibus mediis, tamarindis et manna comparata. Exaltatam virium vitalium activitatem systematis praesertim irritabilis compescunt, et simul arteriarum et organorum secernentium in contractionem nisum infringunt. Eum in modum, quae omnes secretiones ad normam reducunt, etiam menstruorum fluxum promovent.

Externe, repleto abdomine, tenso et dolorifico cum alvi obstructione, infrictiones oleosae, emollientes bene quadrant, uti et fomenta tepida et clysteres ex decocto herbarum emollientium cum seminibus lini. Ad ardorem in vagina mitigandum injectiones eorundem decoctorum emollientium et semicupa cum emolumento in usum ducuntur. Praeterea magnum influxum exserit regimen diaeteticum adaequatum, quod neque tum mutetur, quum menstrua ad normam jam fluxerint. Omnia vitentur stimulando in systema reproductivum et irritabile agentia, tum nutrimenta, tum potulenta, justo fortior motus, vehementiores animi affectus. Quae aegram circumdat atmosphaera, modice sit temperata, humida magis quam sicca, partes corporis superiores minus, inferiores magis calidae serventur. Potus frequens hauriatur aquosus, diluens; cibi ex regno vegetabilium desumantur; cibi vitentur carnosi, nisi ex animalium juniorum, vitellorum, columbarum, gallinarum parentur. Imprimis removenda omnia, quibus systema genitale excitare posset. Provo-

cato hac ratione fluxu catameniali restat, ut ad typum regularem firmius adstringatur, quapropter tempore, quo catamenia denuo ingressura sunt, supra adducta remedia externa cum pediluviis tepidis in usum trahantur, vestimenta seligentur, quae abdomen nullo modo molestant, atque sanguinis liberam circulationem non impediunt; diaeta sit tenuis, aliquoties de die potus theatus hauriatur ex infuso florum Chamomillae et Millefolii.

Quae a virium vitalium debilitate et activitate infirma causatur et fovetur amenorrhoea roborantem medendi methodum exposcit. Sub hujus tamen usu, ut exoptatum fructum ferat, partim astheniae gradus et morbi duratio, partim systema prae aliis affectum respicienda veniunt. Quando nimirum irritabilitas systematis nervosi imprimis depressa invenitur, id, quod ex summa debilitate universali, pulsu parvo, tremulo, inaequali et debili, extremitatum tremoribus, cardiopalmo, delassatione insigni, capiplenio, vertigine, respiratione retardata profunda, lipothimiis, quibus interdum convulsiones accedunt, somnolentia, animo prostrato, voce debili colligere poteris, tum stimulantia volatilia indicantur, uti sunt: infusum florum Chamomillae, radicis Valerianae, Serpentariae, sal succini, alcali volatile, liquor cornu cervi succinatus, balsamum vitae Hoffmanni, Ambra, Moschus, Phosphorus, Camphora, vinum generosum. Interdum et cephalalgia atrox et deliria symptomatibus illis sese jungunt in puellis, quae antea habitu gaudebant robusto, succipleno; tum acida mine-

ralia, et inter haec elixirium acidi Halleri copiosa aqua diluta pro potu, et digitalis purpurea praecipuam sibi laudem meruerunt, quibus omnibus sinapismi, clysteres ex infuso florum Chamomillae, et urgente cephalalgia hirudinum adplicatio cum summo emolumento junguntur. Increscens virium prostratio, spasmi et convulsiones cum doloribus atrocibus in abdomine balnea indicant tepidiuscula et infrictiones substantiarum volatilium.

Interne qua remedia antispasmodica cum effectu laudabili exhibentur infusum florum Chamomillae, radix Valerianae, liquor c. c. succinatus, Castoreum, tinctura Valerianae, Asa foetida, Ipecacuanha dosi refracta, pulvis Doveri; convulsionibus fortioribus Opium opponitur et Moschus. His junguntur clysmata iisdem pharmacis impraegnata, et infrictiones antispasmodicorum ad abdomen. Sub usu horum auxiliorum plerumque status nervosus feliciter devincitur, quo amoto superstes asthenia medici operam exspectat. Ad hanc auferendam, quae systematis reproductivi activitatem erigunt et confirmant, remedia quadrant. Aliis omnibus pharmacis cortex peruvianus et ferrum palmam praeripiunt, quae Serpentaria, Valeriana, Cinnamomo, balsamo vitae, liquore anodyno, et post praegressam diarrhoeam pertinaciorem Opio adjuvari possunt. Etiam hic magna ex parte medicaminum effectus ab adaequata pendebit diaeta, quam juscula constituant bene nutrientia, aromatibus condita, ova, oryza, caro assata vitello-

rum, gallinarum, panis albus, vinum generosum, vetustum. Balnea ex infuso plantarum aromaticarum ter aut quater inter hebdomadis spatium exhibita admodum proficua inveniuntur. Aër purus, siccus, liber, animi exhilaratio haud parum sanationem accelerant. Quam maxime autem fugienda omnia, quae nervorum vitam deprimunt, et hoc pacto totius organismi astheniam retinent, quo animi affectus et pathemata deprimentia pertinent, uti sunt: aerumnae, tristitia, amor frustraneus, nec minus masturbatio, mentis nimia intentio.

Ubi mensium retentio in vita reproductiva retenta et depressa radices suas figit, tunc nonnisi ipsa vita reproductiva ad debitum vigoris gradum elevata menstrua provocabuntur. Huic fini remedia respondent: amara, aromatica, adstringentia, tonica, uti: herba Trifolii fibrini, Millefolii, Marubii albi, folia Aurantiorum viridium, radix Rubiae tinctorum, Calami aromatici, Gentianae, lignum Quassiae, cortex Aurantiorum, Angusturae, Winteranus, Cascarillae, Quercus, Hypocastani, Salicis, et pro his omnibus cortex peruvianus in infuso, decocto, extracto. -- Singulari autem virtute gaudet ferrum sub debilitate cum universali fibrae laxitate recto tempore et modo adhibitum. Non enim dynamica tantum ratione in vitam reproductivam agit activitatem depressam erigendo, sed partes constitutivas deperditas et deficientes restituit, in organorum formam et mixtionem intimam penetrat, eaque immutat,

sanguini ruborem colorem cruorem reddit et eo illius stimulum adauget.

Praeparata nobis largitur varia, inter quae, quum alia facilius ferantur a digestionis officina quam alia, pro rerum circumstantiis aptissimum seligendum est. Minus vigente digestione exhiberi possunt flores salis amoniaci martiales, quod tamen praeparatum melius servatur solutum in spiritu vini, et qua tinctura martis aperitiva in usum trahitur; tinctura dein martis salita, liquor anodinus martialis; tinctura et extractum martis pomat. et cydoniat., vinum martiatum. — Sat valida digestione, alvoque morigera efficatior adhibetur aethiops martialis et limatura, cum pulvere corticis cinnamomi et aliis aromaticis, cum magnesia, si alvus pigra redditur. Propriam etiam virtutem exercent aquae ferrum solutum continentes, tum pro potu haustae, tum pro balneis adhibitae, inter quas aqua Pyrmontensis, Bockletensis, Schwalbachensis et aliae eminent. — Medicamina raborantia haec parum tamen aut plane nihil proficient, nisi congruo regimine diaetetico adjuvantur. Sint alimenta digestu facilia, bene nutrientia, magis sicca et aromatica; pro potu vinum conducit bonum; modicus corporis in aëre puro et sicco motus, cutis frictiones, animi exhilaratio pharmacorum efficaciam probe adjuvant. Conducunt et saepe climatis mutatio, vita ruralis, itinera, comoratio ad thermas minerales. Ardua autem et summe difficilis erit aegrarum plenaria sanatio, quarum paupertas et necessa-

riorum inopia unicam amenorrhoeae causam posuerant, nisi vitae haec misera conditio emendari potest.

Victus enim pravus, degestu difficilis, relaxans, aquosus, habitaculum profunde situm, humidum, vita continue sedentaria omnem sanationis spem avertunt.

Magnam etiam medici attentionem sibi exigunt morbi, quibus amenorrhoea frequenter est complicata, reproductionem magis magisque deprimentes. Ejusmodi mala, quam primum fieri potest, sunt compescenda. Ita ulceris, si adfuerit, copiosa supuratio coërcenda, et ulcus sanandum, cujus tractamen aeque qer causas ulcerationem sustinentes determinatur. Quando scrophulosis, exanthemata, rhachitis aut infectio per contagium venereum menstruorum retentionis plus, minusve culpam gerunt, haec mala auferre oportet, quemadmodum saepius nonnisi matura operatio chirurgica fluxum catamenialem admittit, si excrescentiae, tumores lymphatici, steatomata, et ejusmodi illius ingressum prohibent.

Adhibitis, quae huc usque enumerabantur, auxiliis omnes organismi functiones, hinc etiam fluxus menstruus ad normam saepe adducuntur, sed non ubique faustum hunc videre licet effectum. Requiruntur deinde propriae indolis remedia, quae in irritabilitatem organismi universi et in genitalium systema in specie agunt.

sub nomine attrahentium seu pellentium, emenagogorum, haemagogorum nota. Sub nomine attrahentium veniunt pediluvia, vapores tepidi ad genitalia directi et hirudines cum curcurbitis ad internam partem femorum, involucra ex panno xylino, sinapismi et vesicantia; applicatio tornaculi et electricitatis. Horum tamen omnium usus nonnisi cum circumspectione et justa indicatione concedi potest. Prouti nimirum amenorrhoea statui hypersthenico systematis irritabilis originem debet, et congestiones sanguinis versus abdomen et genitalia sese produnt, vapores emollientes ad genitalia, pediluvia tepida, fomenta ad abdomen, hirudinum et curcurbitarum applicatio locum inveniunt; quando autem menstrua per depressam activitatem vitalem retinentur, frictiones in femoribus, pediluvia irritantia, sinapismi et vesicantia, infrictiones volatilium ad abdomen, tornaculi et electricitatis positivae applicatio commendantur; neque desunt, qui magnetismi in hoc casu virtutem laudibus efferant.

Emenagoga in genere vocantur remedia, quae singulari modo in genitalia agunt, et stimulando ibi nervorum vasorumque activitatem incitant. Pharmaca autem haec tunc tantum in usum ducere licebit, quando menses per irritabilitatis et reproductivitatis labem, per torporem totius organismi, ideoque etiam systematis uterini, retinentur, quum nimirum fortior in sphaeram irritabilem systematis vasorum, praesertim uteri, requiritur impulsus. In omni autem casu, ubi status

potius hypersthenicus menstrua retinet, ubi dispositio adest in phlogoses topicas, in individuis robustis, succiplenis, praesentibus sanguinis congestionibus cum cephalalgia, vertigine, abdomine tenso, dolorifico, doloribus in regione dorsali et sacrali emenagoga nunquam non maxime noxios producunt effectus; adaugent enim aestum et cephalalgiam, provocant pylogoses organorum abdominalium, uteri; inducunt maniam, apoplexiam, saltem haemorrhagias ex utero, allisve organis protrudunt profusas.

Ad emenagoga usitatissima referuntur: infusa florum Chamomillae et Arnicae, herbae Millefolii, Croci, seminum Foeniculi et Anisi, gummi ammoniac., Galban. et asa foetida, praecipue forma pilularum; myrrha in substantia vel ejus extractum. Flores dein sulphuris et Rheum forma pulveris vel pilularum cum extracto Aloës, Hellebori nigri, Gratiolae vel cum extractis amaris. Baccae Lauri et Juniperi, oleum animale aethereum, oleum Chamomillae, Juniperi, terebinthinae, aethereum; balsamum Peruvianum, Copaivae; efficatiora sunt: Aloë dosibus minoribus diutius exhibita, forma pilularum vel in connubio cum remediis nominatis, radix Hellebori nigri forma pulveris, vel ejus infusum aut extractum; herba Roris marini, folia et extractum Taxi et Sabinae in substantia cum saccharo, vel in infuso; oleum Sabinae aethereum in elaeosaccharo aut emulsionibus. Merentur et borax venet. et sal ammoniacus hic loci mentionem, qui sales ad drachmam unam ascendendo ad plures

per diem in infuso quodam ex supra nominatis exhibiti prompte menstrua provocant.

Quoad remedia externa laudantur frictiones oleorum aethereorum in abdomen, olei sabinae, juniperi, terebinthinae in alcohole solutorum, frictiones abdominis ope panni xylini substantiis resinosis, odoriferis perfumati.

Remedia haec juste cauteque adhibita non solum in systema uterinum, sed in universum etiam organismum optimos effectus exserere possunt, pulsum debilem et parvum elevando, faciei colorem emendando, respirationem liberam reddendo, coenestesin sensu redeuntis sanitatis erigendo, praesertim si, quam morbi causa naturaque exposcit, adaequata diaeta servatur. Hinc et reconvalescentiae stadium praecipuam attentionem sibi exigit, quum amenorrhoea ex morborum plerumque chronicorum caterva admodum prona sit in recidivas.

Theses defendendae.

I.

Physiologia absque anatomia nulla.

II.

Nulla absque physiologia est medicina.

III.

Multum Zoologia physiologiae prodest.

IV.

Ante finitum mensem sextum non datur certum graviditatis signum.

V.

Crusta inflammatoria per se nec adesse, nec abesse inflammationem testatur.

VI.

Plures arte medica, quam solius naturae viribus morbi sanantur.

VII.

Febres nervosae et primitivae esse possunt.

VIII.

Abortiva ad foetum immature ejiciendum nullibi et nunquam adhibenda.

IX.

Suicida semper est demens.

X.

Sunt et psychica contagia.